



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum impudicitiae diuersis actibus committi potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

*Peccatum impudicitiae diuersis actibus committi potest.*

**I**mpudicitia, qua homo actibus, tactibus, osculis seu amplexibus vacat libidinosè, hoc est delectationis sensibilis quæ ibi sentitur causa (etiam si nullum intendatur aliud opus) peccatum est, quia huiusmodi delectatio ad generationem ordinata est: sicut & cæteri actus venerei: & propterea nisi propter generationem fiant, peccatum incurritur, ob priuationem proprii finis. Sed si horum aliquid sic fiat à non coniugibus, peccatum est mortale: dicente Apostolo ad Galat. v. quod impudicitiam agentes regnum Dei non consequentur. Et ratio est: quia huiusmodi actus impudici eiusdem sunt moris cuius esset coitus consummatus inter illos: ita quòd si fiant inter sanguine iunctos, spectant ad incestum: si inter solutos, ad fornicationem: & sic de aliis. Et propterea inter coniuges veniale est: quia concubitus ipse inter eos propter delectationem venialis esset. Ratio autem quare sunt eiusdem moris cum actu consummato, est: quia hæc sic accepta (scilicet vt sunt delectabilia secundum sensum tactus) sunt ordinata naturaliter ad actum consummatum, multò vicinius, quàm delectatio morosa in sola mente consistens, quantò exterior tactus propinquior est consummationi venereæ. Oscula autem & amplexus quæ sunt ex benevolentie signo, licita sunt: quæ autem ex leuitate iocosa, venialia sunt. Et scito non esse simile iudicium de tactu & visu. Delectari enim in visu pulchræ mulieris, nullum peccatum est, nisi otiosè aut ad concupiscendum videatur. Et ratio diuersitatis est: quia tactus suapte natura ordinatur ad concubitum, visus autem minime. Hinc enim fit: vt consentire in delectationem sensibilem quæ est secundum tactum: sit consentire

344 Incantatio.

In delectationem veneream. Voluntariè autem delectari de persona quacunq̃ pulchra visa, licet non sit venereum secundum genus suum: potest tamen & facilè fieri venereum ex affectu videntis illecto, tentato &c.

*Dæmonis inuocatio manifesta, que propriè incantatio dicitur, peccatum est grauissimum.*

**I**ncantatio omnis, peccatum est mortale ex suo genere: quia inuocatio est dæmonis manifesta vel tacita ex aliqua superstitione adiuuenta ad nonnullum dæmonis cultum. Et propterea non excusatur exercens incantationem quamcunq̃ à mortali peccato, nisi propter imperfectionem actus ex parte hominis, non per se (hoc est ex intentione) sed per accidens dæmonem inuocantis: puta quia nescit interuenire ibi dæmonum inuocationem, & bona fide credit se dare operam rei licitæ.

Sed bene nota hanc ignorantiam tacitæ inuocationis habere locum in personis idiotis, quandiu non sunt moniti vt desistant. Nam post monitionem non excusantur amplius: quia cessat bona fides: & inde conuincuntur quod non per ignorantiam peccant, qui postquam sciunt aut dubitant de inuocatione dæmonum, nihilominus faciunt. Et similiter non excusantur de præteritis ignorantes, qui si sciissent, nihilominus fecissent: quia ignorantia non fuit causa peccati.

Deprehèditur autem tacita inuocatio dæmonum ex multis specialiter ex septem.

Primò, ex adiuncta aliqua conditione vana vt necessaria: vt si ponatur virtus in verbis sacris, dum tamen scripta sint in pelle, aut tali hora: & similia que nec ad Dei cultum spectant, nec ad rectam rationem.

*Hæc*